

*D. Cardinalis Passioneus - Loco ✠ Sigilli* ». Ad humillimas preces D. Ubaldi Baldassini Procuratoris Generalis ejusdem Congregationis S. Pauli ipsummet privilegium in singulis Ecclesiis Clericorum praedictae Congregationis S. Pauli ad formam praeserti Brevis Canonorum Regularium Congregationis Lateranensium publicari, ac hujusmodi decretum imprimi posse benigne indulsit. Datum Romae die 12 Aprilis 1747.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.  
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLIV.

DITIONIS DOMUS BAVARICAE

Nuper Serenissimo Maximiliano Josepho Bavariae Duce ac S. R. I. Electore et Augustissima Maria Amalia ejus Matre Imperatrice Vidua humillime supplicantibus Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV audito voto Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Indulgentiam Plenariam etiam fidelibus Defunctis applicabilem pro Sodalibus Confraternitatum Adorationis perpetuae Sanctissimae Eucharistiae Sacramenti in tota Dictione Bavaricae Domus erectarum, sive erigendarum per Breve San. Me. Clemente X sub die 7 Septembris 1674 solummodo concessam ad omnes quoscumque praedictae Dictionis Christifideles, licet nulli ejusmodi Sodalitio nomen dederint die 21 Januarii 1747 benigne extendit, dummodo cujusque nomen a proprio Parocho describeretur, et ab ipso orationis hora designaretur, servato in reliquis allegati tenoris Brevis; cum autem super hujusmodi gratiae extensione variae in eadem Dictione subortae fuerint opiniones, nomine praelaudatorum Serenissimi Ducis Electoris, et Augustissimae Imperatricis Viduae, haec Septem discutienda in ipsa Sac. Congregatione proposita sunt dubia:

1.<sup>m</sup> *An etiam Religiosi et Moniales quibus horae nocturnae ad adorandum assignatae sunt, possint lucrari praedictam Indulgentiam Plenariam?*

2.<sup>m</sup> *An etiam extranei casu in tali loco Bavariae, ubi San-*

*ctissimum Sacramentum expositum est degentes, si per horam integram orent Indulgentia gaudeant?*

3.<sup>m</sup> *An Religiosi et Moniales duabus horis in annum horantes, bis etiam Indulgentiam consequi valeant?*

4.<sup>m</sup> *An Reliqui Christifideles si tribus vel quatuor vicibus in hora oraverint, toties Indulgentiam praefatam acquirant?*

5.<sup>m</sup> *An Clausula Dummodo etc. denotet conditionem sine qua non, ita ut quis horam praescriptam variare non possit, vel quispiam valeat propria auctoritate illam mutare, ob impedimentum superveniens, ut Opificibus et Rusticis non raro contingere solet?*

6.<sup>m</sup> *An in quacumque Ecclesia expositio fiat, an in propria tantum orare quis teneatur per horam, ut Indulgentia particeps fiat?*

7.<sup>m</sup> *An Aegroti caeterique non valentes visitare Ecclesiam, ut orent tempore praescripto, si devote id peragant Indulgentiam consequantur?*

Eadem vero Sac. Congregatio omnibus et singulis hujusmodi dubiis mature perpensis die 19 Augusti 1747 respondendum esse censuit; Ad 1.<sup>m</sup> « Affirmative ad tenorem Brevis et Decreti » Ad 2.<sup>m</sup> « Affirmative dummodo non sint per modum transeuntis; » Ad 3.<sup>m</sup> et 4.<sup>m</sup> « Negative » Ad 5.<sup>m</sup> Quoad primam partem affirmative, quoad vero secundam « Negative » Ad 6.<sup>m</sup> Affirmative in quacumque Ecclesia de licentia Parochi. Ad 7.<sup>m</sup> Affirmative de licentia Parochi. De quibus omnibus et singulis facta per me infrascriptum ejusdem Sac. Congregationis Secretarium die 26 ipsius mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.  
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLV.

CONSTANTIEN.

Cum experientia compertum sit nonnullas Sanctissimi Rosarii Confraternitates auctoritate dumtaxat Ordinaria irrequisito

Magistro Generali Fratrum Ordinis Praedicatorum erigi, ac pro illis Apostolicum Breve cum Indulgentiis cuicumque Confraternitati canonice erectae et erigendae generaliter concedi consuetis expediri, nonnulli, extra Urbem ac praecipue quidam Ecclesiastici Viri et Sanguinis nobilitate, et morum probitate insignes ex Dioecesi Constantiensi, recte dubitarunt, num hujusmodi Confraternitates canonice reputari valeant, ac revera subsistant? Quare eorum nomine duo subinserta dubia a Sac. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita fuerunt exhibita: 1.<sup>m</sup> *An si Inscio P. Generali Ordinis Praedicatorum per Ordinarium erigatur Confraternitas Sanctissimi Rosarii, Confratres re ipsa fruuntur Indulgentiis in Breve Apostolico per eosdem obtento expressis?* et quatenus affirmative: » 2.<sup>m</sup> *An fruuntur etiam aliis Indulgentiis in dicto Breve Apostolico obtento non expressis, quas tamen aliis Confratribus Sanctissimi Rosarii a diversis Summis Pontificibus concessas esse constat, ut in Dominicis Menstruis, aut aliis diebus?* Hisce autem dubiis Sac. Eadem Congregatio die 19 Augusti 1747 rationum momentis serio matureque perpensis respondendum esse censuit » Ad utrumque « Negative. » De quibus omnibus facta per me infrascriptum ejusdem Sac. Congregationis Secretarium die 26 praedicti mensis Sanctissimo Domino Nostro Benedicto PP. XIV relatione, Sanctitas Sua ipsummet votum benigne approbando confirmavit. Ne tamen hujusmodi Confraternitatum inconsulto eodem Magistro Generali erectarum fervor tepescat, sed magis magisque illarum Confratrum et Consororum devotio potius augeatur, omnes et singulas cujuscumque Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectiones in praefata Constantiensi Dioecesi inscio Magistro Ordinis Praedicatorum pro tempore existente generali hactenus factas Motu proprio, ac de plenitudine Suae Apostolicae Potestatis sanavit, ac validas esse declaravit; immo praedictae Dioecesis Constantiensis populum specialibus favoribus prosequi volens, etiam Moderno ejusdem Ordinis Praedicatorum Magistro Generali humillime supplicante, hiisdem Confraternitatibus sic erectis praeter Indulgentias in respectivo earum obtento Breve expressas, etiam

omnes et singulas alias confraternitatibus Sanctissimi Rosarii ad formam Constitutionis S. Pii V diei 28 Junii 1569 incipien. « *Inter desiderabilia etc.* » canonice erectis ab Apostolica Sede quomodocumque concessas clementer indulgit. In posterum tamen ut quodcumque dubium, et quaevis abusus aut molestiae vel perturbationis occasio prorsus removeatur, idem Sanctissimus D. N. de Apostolice pariter Plenitudine Potestatis voluit et expresse mandavit, quod non aliter Confraternitates seu Societates Sanctissimi Rosarii erigantur, nisi requisitis prius et obtentis juxta formam a S. Pio V in praeallegato Breve praescriptam a Magistro laudati Ordinis Praedicatorum pro tempore existente Generali litteris facultativis, ut alias a S. Rituum Congregatione die 9 Aprilis 1661 resolutum fuit, et ab Auditore Generali Suae Apostolicae Camerae in consimili causa anno 1663 per sententiam definitum. Saepe dictus vero Magister Generalis pro hujusmodi Confraternitatum erectione consuetas litteras Sacerdotibus sui Ordinis vel ubi horum Conventus non existat, aliis Ecclesiasticis personis, sive Regularibus, sive Saecularibus etiam Episcopo benevisis expediat, ipsaeque litterae non nisi de consensu Ordinarii, servatisque reliquis omnibus in hujusmodi erectionibus ex Apostolicis Constitutionibus servandis, ac servari solitis, executioni mandentur.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.  
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLVI.

VIENNEN. IN AUSTRIA

Cum pluribus non obstantibus Decretis quibus Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declaravit et signanter die 20 Aprilis 1711 Monasteria omnia Sanctimonialium, quae a cura et gubernio FF. Suorum Ordinum sub immediatam Episcoporum jurisdictionem translata sunt, seu in posterum transferri aliqua ratione contigerit, non ideo Privilegia et Indulgentias, quibus antea gaudebant, amisisse

seu amisura fore, sed eodem modo cunctis praedictis privilegiis et Indulgentiis uti et frui debere, ac si sub gubernio Fratrum suorum ordinum actu existerent; die vero 3 Decembris 1736 Monasteria Monialium in partibus praesertim Germaniae sita sub nuncupatione Congregationis Elisabethinarum, licet sub cura et gubernio Ordinariorum existant, gaudere Indulgentiis earum ordini generaliter concessis, ac die 23 Septembris 1741 Sanctissimus Dominus Noster audito prius Voto ejusdem Sac. Congregationis diei 19 ejusdem mensis declaraverit, et quatenus opus sit concesserit Ecclesias Monialium Clarissarum Ordinis S. Francisci Assissinatis gaudere Indulgentia Portiunculae nuncupata die 2 Mensis Augusti pro omnibus Christifidelibus eo modo quo gaudent Ecclesiae Fratrum Minorum universi ejusdem Ordinis S. Francisci, et demum 18 Maii 1744 Sanctimonialia quascumque Ordinario Locorum subjectas gaudere Indulgentiis suorum respective Ordinum, aut Congregationum quorum Ritum in Officio recitando sequuntur, ac simul Institutum profitentur; His inquam non obstantibus pro parte Monialium Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Elisabethinarum nuncupat. Civitatis Vienna in Austria Sac. Congregationi expositum fuerit nonnullos credidisse, sive excogitasse ipsarum Ecclesiam, et alias ejusmodi Congregationis et Ordinis utpote Ordinario subjectas privilegiis et Indulgentiis in Ecclesiis earum Ordinis et signanter pro die 2 Augusti concessis, minime gaudere, sed praefata Decreta pro personis dumtaxat Monialium, non vero pro omnibus Christifidelibus illarum Ecclesias visitantibus intelligenda fore: Quare proposito desuper dubio, *An Indulgentiae generaliter concessae Ecclesiis Fratrum, pariter et Monialium tum in diebus festivis Sanctorum Ordinis, tum in aliis hujusmodi solemnitatibus cunctae et singulae aequae lucrari queant a Christifidelibus visitantibus Ecclesias Monialium, quae Ordinariorum gubernio et jurisdictioni subsunt?* Sac. Eadem Congregatio die 19 Augusti 1747 ad formam alterius Decreti die 27 Februarii 1673 respondit ac declaravit « Gaudere. » De quibus facta per me Infrascriptum ejusdem Sac. Congregationis Secretarium die 26

ejusdem Mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.  
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLVII.

TAURINEN.

Ad enixas preces Eminentissimi et Reverendissimi Caroli Victorii Amadei Card. De Lanceis Archiepiscopi electi Nicosiensis et Magni Serenissimi Sardiniae Regis Eleemosinarii Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV audito Voto Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Universis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, et S. Communionem reffectis, qui quaecumque anni die Regiam Cappellam Sanctissimae Sindonis nuncupatam Civitatis Taurinen. devote visitaverint ibique pro Christianorum Principum Concordia, Haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae Exaltatione pias a Deum preces effuderint, Indulgentiam Plenariam per unumquemque semel tantum in quolibet anno lucrificandam; Insuper ex gratia speciali Incolis ejusdem Civitatis, ac Suburbiorum dumtaxat praemissa peragentibus in quatuor aliis anni diebus, vel festivitibus per laudatum Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Archiepiscopum semel eligendis qua die vel festivitate praedictarum id egerint, Plenariam pariter omnium peccatorum suorum Indulgentiam die 26 Augusti anno 1747 in perpetuum benigne concessit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.  
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLVIII.

URBIS

Cum sicut humillime exponebatur in Ecclesia S. Silvestri et Dorotheae Fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci in Transtiberim de urbe quaedam pia Confraternitas Congregatio nuncupata *Divini Amoris S. Cajetani* canonice reperiatur

erecta, quae Confraternitas juxta ipsius Statuta nonnullas Missas pro anima ipsorum Confratrum et Consororum ab hac vita decedentium celebrare, vel celebrare facere solent, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV clementer indulget, ut omnes et singulae Missae hujusmodi, quae pro anima ipsorum Confratrum et Consororum, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad quodlibet Altare cujusvis Ecclesiae celebrantur, Animae hujusmodi pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur ac si ad Altare Privilegium celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae die 27 Augusti 1747.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.  
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLIX.

MOGUNTINA

Clausulae restrictivae, quae ex consueta probataque consuetudine appositae fuerunt in quibusdam Indulgentiarum Brevibus expeditis pro Ecclesia Montis Adjutorii S. Bonifacii Moguntinae Dioecesis, nonnullis dubium injecerunt « *Utrum ex praefatis clausulis revocatae fuerint, aliae Indulgentiae praefatae Ecclesiae concessae et praesertim pro concursu Peregrinorum pro sextis Feriis Quadragesimae: Novendialibus Nativitatis Domini; nec non Altaris privilegium;* » quare ad removendas hujusmodi dubitationes proposito dubio « *An Indulgentiae concessae, tam pro concursu Populi ac Peregrinorum, quam pro Novendialibus ante Natale Domini, nec non privilegio Altaris impedimento sit concessioni Indulgentiarum cum clausula - Dummodo -, aliisque restrictivis in casu etc.?* » Sac. Congregatio Indulgentiarum et Sac. Reliquiis praeposita die 5 Februarii 1748 declarandum esse censuit « Negative ». De quibus facta per me infrascriptum Se-

cretarium Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

FR. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.  
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLX.

ELBORN.

1.<sup>m</sup> *An deputatio Sacerdotis Saecularis in scio P. Priore Generali Ordinis Eremitarum S. Augustini ad benedicendum Scapularia et Cincturas a Sodalitio Cincturatorum Oppidi Moevrae facta sustineatur in casu etc.?*

2.<sup>m</sup> *An idem Sacerdos valeat benedictionem nomine Sanctitatis Suae impertiri diebus in Statutis Cincturatorum praescriptis, nec non in Articulo Mortis? Et quatenus Negative ad utrumque.*

3.<sup>m</sup> *Quomodo providendum sit in casu etc.?*

Sac. Congregatio sub eadem die respondit

Ad 1.<sup>m</sup> et 2.<sup>m</sup> Negative.

Ad 3.<sup>m</sup> Recurrant ad P. Priorem Generalem Ordinis S. Augustini pro facultate impertiendi Benedictionem Papalem.

CLXI.

TRIDENTINA

Proposita controversia exorta inter Tertiarios subjectos Patribus Min. Conventualibus S. Francisci, et Tertiarios PP. Reformatorum ejusdem Ordinis Tridenti in Sac. Congregatione habita die 21 Junii 1746, Sac. Congregatio disceptatis dubiis, Primo videlicet « *An Tertiarii, qui a PP. Conventualibus defecerunt adscriptique fuere in Tertio Ordine PP. Minorum Reformatorum Ord. S. Francisci gaudeant privilegiis Tertiariorum in casu etc.?* » Secundo « *An Bullae, tam - Quaecumque - Clementis VIII, quam - Paterna Sedis - Benedicti XIII obsint Tertiariis Conventualibus ratione posterioris erectionis in casu etc.?* » Ad primum respondit « ex hactenus deductis Negative, et ad mentem et mens est ut scribatur Episcopo juxta Instructionem ».

Ad secundum « Negative ». Quapropter datis Litteris ad Episcopum, quae potissimum versabantur in eo ut pro sui prudentia curaret partes componere; cumque irrita fuerit omnis industria Episcopi; iterum pro parte utriusque Congregationis Tertiariorum praefatorum propositum fuit dubium « *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.?* » Eadem Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 5 Februarii 1748 rescribendum esse censuit « In decisis, et ad mentem, et mens est, ut Secretarius referat Sanctissimo, Sac. Congregationem esse in sensu quod quatenus Tertiarii qui a Conventualibus discesserunt supplicent Sanctitati Suae pro nova Indulgentiarum concessione, illorum precibus Sanctitas Sua dignetur annuere ». De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sac. Congregationis Secretarium die 2 Martii ejusdem anni Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.  
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLXII.

Ut Pietatis opera in Christiana Republica augeantur, simulque charitatis vincula Fideles ipsos magis, magisque obstringant, jamdiu mos invaluit Privilegia, Indulgentias, aliasque spirituales gratias, quibus Patriarchales Basilicae, aliaeque Ecclesiae, Nosocomia, Archiconfraternitates, et alia hujusmodi generis pia Instituta gaudent, aliis per aggregationes communicandi; verum cum super hujusmodi aggregationibus plura quotidie emergant dubia, et praesertim, num qui aggregandi facultatem habent, privilegia sibi competentia ampliare, sive limitare in aggregatione queant; pariterque an pro sui arbitrio ipsas aggregationes ad tempus vel in perpetuum concedere possint; tum etiam utrum privilegium Altaris quo aggregatus fruitur communicari possit, et revera sub nomine Privilegiorum et Indulgentiarum indemnitati, neve Christifideles in re tanti momenti decipiantur, decidenda in Sac. Congregatione Indulgentiarum et Sac. Reliquia-

rum proposita fuerunt sequentia dubia. Primo « *An Patriarchales Basilicae, aliaeque Ecclesiae, nec non Nosocomia, Archiconfraternitates, Superiores cujuscumque Ordinis, sive Instituti coeterique habentes facultatem communicandi privilegia, possint Privilegia et Indulgentias ampliare et limitare pro sui arbitrio in aggregationibus?* » Secundo « *An aggregationes faciendae sint ad tempus vel in perpetuum?* » Tertio « *An privilegium Altaris sit communicabile?* » Et Sac. Eadem Congregatio die 5 Februarii 1748 declarandum esse censuit « Ad primum « Negative, nisi aliter in Indultis Apostolicis praevideatur ». Ad secundum « Aggregationes faciendas esse in perpetuum ». Ad tertium « Negative ». De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Secretarium die 2 Martii ejusdem anni Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.  
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLXIII.

Nuper emanatum fuit decretum tenoris qui sequitur, videlicet « *Cum pluribus non obstantibus Decretis, quibus Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declaravit, et signanter die 20 Aprilis 1711 Monasteria omnia Sanctimonialium quae a cura et gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediata Episcoporum jurisdictione translata sunt, seu in posterum transferri aliqua ratione contigerit, non ideo Privilegia et Indulgentias, quibus antea gaudebant, amississe, seu amissum fore, sed eodem modo cunctis praedictis Privilegiis et Indulgentiis uti, et frui debere ac si sub gubernio Fratrum suorum Ordinum actu existerent; Die vero 3 Decembris 1736 Monasteria Monialium Elisabethinarum, licet sub cura et gubernio Ordinariorum existant, gaudere Indulgentiis earum Ordini generaliter concessis; ac die 23 Septembris 1741 Sanctissimus Dominus Noster, audito prius voto ejusdem Sacrae Congregationis die 19 ejusdem mensis declaraverit; et*

quatenus opus sit concesserit, Ecclesias Monialium Clarissarum Ordinis S. Francisci Assisinatis gaudere Indulgentia Portiunculae nuncupata die 2 mensis Augusti pro omnibus Christifidelibus, eo modo, quo gaudent Ecclesiae Fratrum Minorum universi ejusdem Ordinis S. Francisci; Et demum 18 Maii 1744 Sanctimoniales quascumque Ordinario locorum subjectas gaudere Indulgentiis suorum respective Ordinum aut Congregationum, quorum ritum in Officio recitando sequuntur, ac simul Institutum profitentur; His inquam non obstantibus pro parte Monialium Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Elisabethinarum nuncupatarum Civitatis Viennen. in Austria. Sac. Congregationi expositum fuerit, nonnullos credidisse sive excogitasse ipsarum Ecclesiam et alias hujusmodi Congregationis, et Ordinis utpote Ordinario subjectas, Privilegiis et Indulgentiis in Ecclesiis earum Ordinis et signanter die 2 Augusti concessis, minime gaudere, sed praefata Decreta pro personis dumtaxat Monialium, non vero pro omnibus Christifidelibus illas Ecclesias visitantibus intelligenda fore. Quare proposito his desuper dubio « An Indulgentiae generaliter concessae Ecclesiis Fratrum pariter et Monialium tum in diebus festivis Sanctorum Ordinis, tum in aliis hujusmodi solemnitatibus cunctae et singulae aequae luerari queant a Christifidelibus visitantibus Ecclesias Monialium quae Ordinariorum gubernio et jurisdictioni subsumt? » Sacra eadem Congregatio die 19 Augusti 1747 ad formam alterius Decreti diei 27 Februarii 1673 respondit ac declaravit « Gaudere ». De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sac. Congregationis Secretarium die 26 ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit. - Fr. J. Card. Portocarrero - Loco ✕ Sigilli - A. M. Erba Protonotarius Apost. Secret. ». Cum vero pro parte Monialium Elisabethinarum praefatarum, dubium fuerit « An ipsae, earumque Ecclesiae in praeinserto favorabili Decreto comprehendantur, ex eo quod licet consueta Vota substantialia Instituti et Ordinis S. Francisci profiteantur, attamen non Divinum vigore praeallegati Decreti 18 Maii 1744

sed B. M. V. Officium tantummodo recitant? » Eadem Sacra Congregatio die 5 Februarii 1748 ejusmodi proposito dubio rescribendum esse censuit « Consulendum Sanctissimo pro benigna declaratione ». De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sac. Congregationis Secretarium die 2 mensis Martii praedicti anni Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis approbando benigne annuit, ac ejusdem declarationem seu concessionem quibuscumque etiam reliquis Monialibus Instituti, aut Ordinis S. Francisci Assisinatis, earumque Ecclesiis suffragari voluit.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.  
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLXIV.

TRIDENTINA

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV precibus nomine Tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentia utriusque sexus in saeculo viventium sub invocatione S. Elisabeth in Ecclesia Praepositali S. Margaritae Civitatis Tridentinae, sub directione FF. Minorum de Observantia Reformatorum existentis sibi humillime porrectis ex gratia speciali benigne annuens die 2 Martii 1748 clementer indulgit, ut ii omnes et singuli Christifideles, qui simili Tertio Ordini in Cappella S. Caroli penes FF. Minores Conventuales ejusdem Civitatis jam adscripti ad praefatum Ordinem S. Elisabeth migrarunt, quotiescumque ad primaevum eorum coetum redire sibi grave nimis duxerint, omnes et singulas Indulgentias hujusmodi Tertio Ordini S. Francisci generaliter concessas in eodem Tertio Ordine S. Elisabeth permanentes consequi valeant.

FR. J. CARD. PORTOCARRERO PRAEF.  
A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret.

CLXV.

FF. MIN. RECOLLECTORUM IN PROVINCIIS GERMANO-BELGICIS

Nuper emanavit Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet  
« Ad humillimas preces P. Gaudiosi Mayer Provinciarum Ger-